

14

MORS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIAE.

Petrus Behnoff
Heppendorfensis.

Am dudum fuerat nati post fata superstes
Diva parens, cœlique altos spirabat amores,
Tempore nocturno, cum plurima sydera fulgent
Cum lylæque urbesque silent, & fessa labore
Accipiunt placidos mortalia pectora somnos
Tum pater æterno Mariæ succensus amore,
Alloquitur facie insignem & fulgentibus alis:
Fide vigil pars militiae fortissima nostræ
Huc animum converte, atque hæc sub pectora versa:
Est urbes phœnicum inter latèque fluentem
Jordanum Regio nostris sat cognita sacris
Judæam appellant, armisque & lege potentem;
Hic claris exorta etavis, varumque Ducumque
Antiquum genus, & dignis licet aucta Hymenæis
Pectoris illæsum Virgo, materque benigna
Nati unigeniti, castas hæc jussus ad aures
Affare, & pulebris cunctantem hortatibus imple:
Hactenus o Virgo terris & paupere tecto
Incoluisse sat est, tandem lux alma statuta est
Quæ regnare polis, altoque effulgere Divum
Conclilio, & sacros æternum habitare penates
Cœlicolum Rector jussit, sic ore profatus
Annuit, & totum nutu tremefecit olympum.
Mox ales Zephyris altum per inane vocatis
Carpit iter, scindit nebulas, atque aëra tranat,
Ima petens, pronusque leves vix commovet alas,
Et tandem ex alto juvenis demissus olymbo
Purpureos retegit vultus, numenque professus
Incessuque, habituque, ingentes explicat alas
Actebris latè insuetum diffundit odorem
Mox prior hæc: oculis salve lux debita nostris

†

Jam-

Jam pridem notum cœlo jubar, optima Virgo
 Cui sese tot dona, tot explicuere merenti
 Divitiae superum; quidquid rectique probique
 Aeterna de mente fluit: purissima quidquid
 Ad terras summo veniens sapientia cœlo
 Fert secum, & plenis exundans gratia roris
 Omnipotens in te mentemque effudit in alman
 Vita finis erit: posthac super æthera, & axem
 Sydeream Virgo pia transcriberis olympos.
 Dixerat illa animum sedato pectore firmans
 Substitit, & breviter placido sic ore locuta est.
 Quod jubet omnipotens, cupit obsequiosa voluntas:
 En adiun, accipio venerans mandata tuumque
 Magne parens votum, mihi iusta capessere fas est:
 Interea properans volucer pulcherrimus alis
 Jam procul æquatis discesserat, altaque nabat
 Per loca, cum Virgo celsis in nubibus illum
 Alternantem humeros videt, atque immensa secantem
 Ventorum spatia, & jam versicolore per auras
 Fulgentem plumâ, & cœli convexa petentem
 Quem demum tali aspectans sermone secuta est:
 Magne ales, celsi decus ætheris, invia rerum
 Qui penetras, longèque & nubila linquis & Euros
 Antevolans, læto seu te felicia tractu
 Sydera, quæque suos volvuntur signa per orbes:
 Expectant redeuntem, alti seu certa reposcit
 Crystalli domus, & vitrei plaga lucida Regni
 Seu propiora vocant supremo testa tonanti
 Quà patet in summum Regio flammantis olympi
 Teque amor & liquidis flagrans alit ignibus aura,
 I precor, & promptam testis deferto voluntam:
 Vix ea fata parens fuerat, subitoque fragore
 Intonuit polus, & de cœlo lapla per umbras
 Stella facem ducens multa cum luce cucurrit:
 Tum Virgo exultans oculos ad sydera lætos
 Extulit, & cœlo palmas cum voce tetendit:
 Magne parens Divum, nullâ pietate favore
 Tanto digna fui, tamen hæc tua dextera præstat;
 Quare ago, me famulam sisto ad tua dicta paratam:

Hæc ait: & sentit grassantem in corpore febris
 Augeri, & lethum paulatim inspergere membris
 Fatales undas: cum Petrum inclamat, & ore
 Incipit hæc: tandem fines portusque tenebo
 Sydereos, mundi mea cymba evadet ab undis
 Atque ad speratam sponsi me transvehet aulam:
 Mortales ponam formas, magnoque tonanti
 Æternum servire libet, jam numina paræ
 Postremo mihi fila legunt, sic fata Simoni
 Expressit lachrymas imo de pectore natas:
 Ucprimum internas vocis laxavit habenas
 O si inquit fratrum cœtus spectator adesset,
 Ut mecum insoliti caperet tormenta doloris:
 Vix ea fatus erat quando (mirabile visu)
 Illico adest pia turba viruin, stupefactaque circum
 Fatalēm stat lege torum, dirūmque recenset
 Divinæ Genitricis onus, quæ talia reddit:
 Exoptata cohors, advenit meta laborum
 Intentat libitina necem, trux Clotho propinquos
 Fert infausta pedes, ne me ergo ad celsa ferendas
 Atria, cœlicolum, postremo desere phœt;
 Dixerat, atque graves conata attollere vultus
 Deficit, & gemitu per partes volvit omnes
 Interea Eois hæc spectans Phœbus ab undis
 Fata, indignantes retro convertere currus
 Opravit, frustraque suis luctatus habenis
 Quod potuit tandem, auratos ferrugine crines
 Infecit, mœstamque diu sine lumine frontem
 Cum gemitu ostendit terris, q:uin ipsa nigrant
 Fratis ab ore timens, & tanto concita casu
 Cinthia, cœruleo vultus obnubit amictu
 Avertitque oculos, lachrymasque effudit inanes
 Ipsa patens tellus tanto concussa dolore
 Illachrymans, fessæque Deæ morientia cernens
 Lumina, crudeles terras, crudelia dixit
 Sydera, crudelem sese quod talia sp̄etet
 Omnia sic implens luctu mœstoque ululatu
 Incipit, & duris figit simul oscula saxis
 Exclamans, quis me miseram, quis culmine tanto

Dejectam subitis involvit Virgo procellis
 Virgo animi robur, sanguis meus, unde repente
 Hæc fera tempestas, cui conquerar, horrida cruda
 Immensis nimium, trux, barbara terribilis mors:
 Dixerat hæc tellus, nec enim tolerare dolorem
 Ulterius potuit, nec fari plura, suumque
 Rettulit os in se propioraque manibus antra.

MORS ET ASSUMPTIO.

AUratum interea culmen bipatentis olympi
 Conscendit genitor, rerum inviolata potestas
 Læta fovens tacito sub pectore: mox jubet omnes
 Ad sese acciri superos: volat æthere toto
 Cœlicolum glomerata manus quo sydera cœlo
 Ipse sedens humeris chlamydein fulgentibus aptat
 Ingentem & cœlum pariter terrasque tegentem
 Quam quondam (ut perhibent) vigilans noctesque diesque
 Ipla suo rerum nevit natura tonanti
 Adjecitque sacræ decus admirabile teles
 Per medium, perque extremas subtegminis oras
 Immortale aurum intexens grandesque smaragdos:
 Hic postquam Aligeros gemmata sedilia cœtus
 Accepere, pater, folio venerandus ab aureo
 Insit, eo dicente Deum domus alta silescit
 Et tremefacta solo tellus, silet arduus æther,
 Tum Zephyri posuere, premit placida æqua ponens
 Ætherei proceres, nostis succumbere parcis
 Matrem unigeniti, superasque evolvere sedes
 Pectore flagranti, tantos tolerare dolores
 Ulterius mens nostra vetat, diadema decorum
 Bis senis capiat stellis, vestrosque triumphos
 Agnoscat vultu, & nostras referatur ad oras.
 Dixit, lætitiam choreistum forte vacantem
 Advocat (hæc magni motusque animosque tonantis
 Temperat, & vultum discussâ nube serenat)
 Lætitiam, quæ cœlicolum per limina semper
 Discursat, raroque iinas petit hospita terras,
 Curarumque expers, lachrymasque exosa virago

Exultat, totoque abigit suspiria cœlo
 Ut stetit ante Patrem, terrasque accedere jussa est,
 Mobilibus pietas humeris accommodat alas,
 Lenimenque viæ comites vocat, ilicet adsunt
 Jucundæ visu facies, cantusque, chorique,
 Gaudiaque, & plausus, & honestis ignibus ardens
 Rectus amor, quem nuda fides, spesque inscia luctus
 Videntem mira unanimes pietate sorores
 Observant, sequitur mox inculpata voluptas
 Gratiaque, & niveam suadens concordia pacem,
 Cumque propinquasset portæ, quæ maxima cœlo
 Dicitur, æternumque micat radicata coruscis
 Astrorum signis, horæ properantibus alis
 Succinctæ occurunt, queis ostia credita cœli,
 Protinus æratos impulso cardine postes
 Cum sonitu, magnoque polos quassante fragore
 Præpandunt obnixæ humeris, volat illa per auras
 Exortâ sub luce nitens: vestigia terris
 Ut primum posuit (sic Princeps jussit olympi)
 Se Mariz immisit tectis, atque omnia latè
 Perlustrans, tacitis oculis loca, concutit alas
 Applaudens, pictosque sinus sub murice jactans
 Tunc ait excelsi decus ætheris aurea mater
 Erigere audacter, mentemque resume cadentem;
 Angelicus stat Dia chorus, stat summus olympi
 Arbiter, atque tuis diadema micantibus aptat
 Crinibus, & natus castis te amplectitur ulnis
 Hûic animam trade alma tuam, sic voce profata
 Lætitia, at genitrix animum confirmat; & insit:
 Natae quis invitus matri, te tempore tanto
 Surripuit? tandemne oculos mortore narrantes
 Fessaque membra toro dulci solamine tergis?
 O mihi, suavis amor, moror procul omnis in aura
 Secessit fugiens; animam cape natae Parentis
 Et quoties mortale genus per viscera matris
 Assiduasque preces mortemque rogaverit, alto
 Exaudi solio, moriens hæc ultima mater
 Dixerat, & manibus Jesum, complexa tenebat,
 Qui paucis hæc verba refert, quæcumque cupidi

Diva parens, nullo Rector mundi abnuet ævo
 Lætitiam spira mortalesque erue formas
 Sic fatus totum divino corpus odore
 Uaxit, & ambrosiâ cum dulci nectare mixtâ
 Contigit os, fecitque Deam, dehinc inter amicos
 Astrorum plausus, & gaudia mille polorum
 Angelicosque choros cantusque per æthera strepentes
 Corpore conjunctam secum super aëra duxit
 Immortali animam applaudens, solioque Supremi
 Numinis auratâ vicinam in sede locavit
 Sydereos supra proceres sanctosque senatus
 Sub pedibusque dedit stellantia cernere claustra.
 Plaudite cœlestes genii, lætisque triumphis
 Festivum celebrate diem, sustollite voces
 Jucundum resonate melos, conjungite dextras,
 Ducite per cœlum chœreas, perque atria lætum
 Clangat io, queuscunque polus itat fulgidus astris,
 Quisquis in Empyreo residet facer incola cœlo
 Plaudat in occursum Dominæ, stellata triumphens
 Sidera, & Angelicus resonet concentibus axis:
 Est ea, sacratae triados, cui Nuncius olim
 Optatum portavit Ave, quæ numen ab alto
 Virgineo exceptit gremio, quam plurima circum
 Agmina stabatis superi, quando illa volutum
 Panniculis, quando protugunt latronis ab altu,
 Quando laborantem manibus, Regnique superni.
 Præconem, quando plagas, & vulnera, spinas,
 Et genus omne mali, mortemque crucemque ferentem
 Fida vias genitrix, natum est comitata per omnes.
 Jam divina parens solio sublimis Eburno
 Cernitur, irradiat bis senis lucida stellis
 Quam scintillantes interinxere schmarachdi
 Digna corona caput, colligrant aurea sacram
 Sceptra, manum, clatum fundit de corpore solem,
 Et toto spirat Majestas Regia vultu
 Inumeros videoas volucri de stirpe ministros
 Reginæ stipare latus: non invidet ullus
 (Nam pridem cœlo cecidit telluris in unum
 Turba superba chaos) lati sed matris honore

In nato Matrem, Reginam in Rege celebrant.
 Si licet ô Regina potens! nec spernis amantem
 Angelicos inter plausus, variosque triumphos
 Vox famuli sonet una tui, quæ nomina vestris
 Prometitis condigna dabo, tibi gloria Virgo:
 Post triadem supremus honor, tibi sponsa tonantis
 Nata, simulque parens incurvet spiritus omnis
 Omne genu, (famulo faveas) ô diva triumpha
 Et Rege perpetuos felix Regina per annos.

Pro Resistentia contra Carnem, Mundum,
 Dæmonem implorat Cliens ad Beatif-

Vix a Deo Genitrix o Maria Mater XII.

Heu Miserum! quantis agitur miseranda procellis
 Undarum volvenda fretu, rabidoque tumultu
 Mens nostra, hostiles surgunt ingentibus ausis
 Undique conventus, & prælia scœva minantur
 Hinc sua mendaci mundus suffusa veneno
 Tela ferit, corpusque tegit sub müricis umbrâ.
 Hinc rabidis dæmoni furiis accensus, & irâ
 Terribilis fera bella mover, gelidumque pavore
 Terret atrox animum, & stygium rotat impius Ensæ;
 Hinc caro blandiloquis seducit motibus audax
 Mentem animumque meum & virus placido ore propinat
 Non ita turba Cæcum nemora, inter densa vagantes
 Insequitur cupido ore feras, quam turba inimicis
 Concitata odiis in me (prô hisco timore)
 Involut æternam minitans animæ horrida noctem.
 Mens dubiis percussa pavet, titubatque, tremitque
 Dum curæ ambiguæ dum spes incerta futuri est:
 Jam modo desperat, modo vult tentare, pudetque,
 Et cupit, & quid agat non invenit, utque securi
 Saucia trabs ingens, ubi plaga novissima restat,
 Quo cadat in dubio est, omnique à parte timeretur,
 Sic animus vario labefactus vulnere nutat.
 Scilicet occidimus fatis, spes nulla salutis,
 Nulla medela datur, dum profero verba, sagittam

Cliens cave mun
 de Dæmonem, & d
 bides ex stimulare
 confes, ad B. V. q
 eque cyprianum
 & remedium

Optima Similitud

Intentat sors atra mihi , mortemque minatur :
 Ah falcis succumbo necis ! ni rebus in arctis
 Adferat auxilium genitrix augusta tonantis
 Quid despero igitur ; spero in te Virgo Maria
 Tu mihi præsidium , & rerum tutela mearum
 Tu clypeus columenque meum , tu certa salutis
 Anchora , tu statio tuti placidissima portus
 Magna patens , tu sola mei fiducia casus
 O ad sis gressuque veni pia Virgo secundo
 Consolare in opem miserisque laboribus adfer
 Suppetias , & opem , miseri te si quæ clientis
 Tangere eura potest , oro miserere cadentis
 Sola infernales rumpis Regina catervas
 Et stygiis immittis aquis , tu sola furentes
 Et cæcas sine sole domos , ditisque phalanges
 Terrenis arcis patriis , dextrâque potente
 Irasque insidiasque & noxia crimina cordi
 Umbrarumque patrem stygiis demergis in antris .
 Ergo age , demissi sunt hæc postrema clientis
 Vota , rebellantes carnis compelce furores
 Ignavasque faces veneris , quæque arma cupido
 In mea fata gerit , genitrix augusta retunde
 Mundique illecebriis , ne fors penetralia cordis
 Obsidio teneant , aditum prohibeto profanum
 Directamque viam stygiis occludes Tyrannis
 Quæ captam rupto squallens acheronte vorago
 Infelicem animam deglutiatis ; aurea mater
 Exaudi gemitus eternosumque clientem ,
 Pro quibus exactis tibi verba , gravesque labores
 Assiduasque preces , sensusque , manusque ; pedesque ,
 Ingeniumque , caputque , arctusque , meisque lacertos
 Devoveo , & propriam trado cum sanguine vitam ,
 Supremoque animam potiorem in corpore partem .

F I N I S.

AD MOMUM.

Si quid habes melius Momum , probare detet

Operâ & labore HERMANNI SEBUS.

Levinus epis. Clivensis Embriacum locis distante obiit.